...aus

Symbolum amoris peregregiae indolis adolescenti D. Nicolao Kaźmierz-a condiscipulis oblatum.

Symbolum Amoris


Peregregiæ indolis Adoleſcenti

D. NICOLAO KAZMIERZ,

CVM

Primam in Artibus & Philoſophia Lauream in Alma Acad. Crac. aſſequitur:

à Condiſcipulis oblatum.



CRACOVIÆ,
Ex Officina MATTHIÆ Andreouienſis,
Anno Domini, 1620.

ORNATISSIMO VIRO

D. ANDREÆ KAZMIERZ

PHARMACOPÆO

Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi

ARCHIEPISCOPI GNESN.

celebri:

Antiqua virtute,

Prudentiâ ſeriâ,

Lectione iugi medicorũ,

Morbis peritè arcendis,

ſuſpiciendo:

Condiſcipuli filij ſui, ad latùs eiuſdem Præceptoris affixi,

Gratulationem iſtam

Filio factam,

Volentes & libentes:

D. D. D.

ODE MON.

Virtus deorum munus eſt,
Simulq; pulchra Scientia:
Quantumq; propitius polus,
Stellæq; donant ingenî,
Geniusque naſcenti bonus,
Tantundem erit poſt fructuum.
Hic opera tantum proficit
Laborq; valet hic improbus.
Alias miſer gratis tuos
Arrodis vngues, & Caput
Fruſtra ſcabis, nec immerens
Iure patietur pulpitum.
Prodeſt labor vbi eſt ingenium,
Perit labor vbi abeſt idem.
Te cogito CASMIRE mi,

NICOLAE mi, dum hæc cogito
Tua, iuuenili in corpore est,
Mens dotibus pulchris sata;
Memoria prompta, celer, tenax,
Tu scriptione bellulâ
Styloq; dicendi fabro
Valere poteris plurimùm.
Tu peruidere mystica
Sensa acrium Sophûm acriter
Nec nare obesa valueris.
Te quoq; cupido flammea
Perurit omnium artium:
Vis nosse quidquid vspiam est
Scientiarum, nec piger
De luce multa stertis, at
Surgis dies in singulos
Ut ocior sic doctior.

Fruaris

Fruaris ergo prosperè
Istâ tuâ lauro inclytâ,
Quam tibi merenti perlibens
Defert parens Academia:
Cuius tu alumnus primulis
Ab vnguibus, hic solius
Suxti vber, astro sat bono.
Sed moneo vt ingenium hoc tuum
Labore iugi percolas.
Indignus ingenio es & bono,
Quisquis laboris improbi
Non vtitur strennuâ operâ.

Stephanus Russyan
Stud. Eloq.

Vaticinium de filio ad Parentem.

ODE MONOC.

KASMIR Louiciensium tuorum
Præclarum decus, ac decora fama.

Cum

Cùm gnatum video tuum ſagaci
Pollentem ingenio, laboribuſque
Pertinacibus vſque & vſque hiantem;
Qui nunc, ſit iuuenis licet tenellus,
Cum plauſu meritam refert coronam
Primam in artibus, inclyta & Sophia:
Iam mihi videor videre tempus
Illud, quo aſpiciemus hunc eundem
Inter conſpicuos breui magiſtros:
Poſt inter medicinæ ab arte claros,
Fauſtum in corporeis malis fugandis,
Exemploque ſui parentis olim
Hæc veſtigia proſperè prementem.
Ibit Heſperias laborioſus
In plagas, reuehet tibique ſecum
Pectoris precioſiora dona:
Solamenque dabit tuæ ſenectæ,
Annorumque tuorum erit bacillum,
Vnus & ſcipio ſenilis æui.
Hoc vati mihi pollicetur eius
Indoles, ſtudiumquee: quem omnibus iam
Obteſtor precibuſq amoribuſque,
Vrgens impleat id quod auguramur.

Adamus Skrzydłowſki,
Stud. Eloq.

PARE-

PARÆNESIS
Ad eundem V.D.

Cùm tibi animo gratamur effuso tuum
Collatum honorem hoc tempore;
Admonitiuncula breui te quamlibet
Vrgere, currentem, placet.
NICOLAE mi, sunt tibi quidem ingenij bona
Vt rara ita & fælicia;
Sed hoc tuum non est quod à cælo est bono,
Parentum & alma ab indole.
Labore quidquid comparabis, hæc tua
Possessio vera fuerit.
Et ingenij vis, est solum, quod semini
Aptum est recipiendo. Tuum est
Ergo agere, & insomnes trahere noctes, situ
Ne hoc occupet mentis bonum.

Nec

Nec polliceri forsitan potes tibi
Te posse magnum quidpiam.
NICOLAE mi vix primulam ingressi viam
Sumus, gradum vix fecimus.
Mouendus itaque labor erit, mouendi erunt
Lacerti, vt ad metam impigro
Pede peruenire queas. Vides tu plurimos
Qui decucurrissent iter
Ad vsque metam, ni prius stulte in animo
Se pertigisse crederent.
Tu procul ab hac insania, pergito alacris,
Os tendeque in corpusculis
His talibus (nam ego quoque sum talem in modum)
Inesse mentis vim arduam.

Hieronymus Cięßkowski.
Stud. Eloq.

Ode

Ode Monoc.

Respondent mollia duris.

FIrmum propositi, continuus labor
Callens intrepidè quidlibet aggredi,
Optatosque potens ducere ad exitus,
Quem persuasit inire ardua montium,
Quos Phœbus, chorus & Pieridum, incolit,
Doctæ frondis honor tempora ei ambiet.
Sic decreuere etenim Pieriæ Deæ.
Nec fraudem faciunt legibus hæ suis:
Nam dum conspiciunt ingenio vbere
Te pollêre, manus quod Charitum benê
Formauêre, alacri & CASMIRE pectore
Exantlare graues, desidiâ procul,
Affini studiis nocte molestias
Iuges, quæ Sophiæ sunt precia arduæ,
Ignarumque dies perdere inutiles:
Victrici ecce tibi cæsariem integunt,
Decerptâ ex Helicone arbore debitâ,
Vix annis teneris regna puertiæ
Egresso, at studijs, indole, moribus,
Scandenti iuuenum iam super ordinem.
Hanc macte ergo animi iam capias bonis
Felix ominibus. nec tibi sit graue

Hoc

Hoc virtutis iter, trames & artium
Vt pòst altera mox fronte super tua
Multò ſplendidior laurea floreat.

Gabriel Iankowſki. Stud. Eloq.

Poſt laborem honor.

ODE MONOC.

CAptis vrbibus hoſticis,
Constricto hoſteq́ vinculis,
Non clamare iô militem,
Non plauſum efficere, impium eſt.
En veſtri tener incola
Parnaſſi, ſpoliis grauis
Raptis, hoſtibus ex bonæ
Mentis, Diuæ Heliconides,
Incedit, meritò atque ouat.
An non, parcere barbito,
Abſtinereq́ cantibus
Lætis, & choreis, nefas?

Ioannes Hyacin: Giebultovvski.
Stud. Rhet.

NICOLAVS KASMIRVS.

Anagramma.

Sic laurus in comas.

Sic ô sic vigiles decoret diadema labores,
INq; COMAS LAVRVS sic eat alma tuas.

Ioan: Stephanski Stud. El.

NICOLAVS KASMIRVS.

Anagramma.

Occinar laus Musis.

Vobis ô musæ vitam studiumq; dicabo,
Atq; ita LAVS MVSIS OCCINAR Aoniis.

Ioannes Szemberg. St. El.

Filij Parentum similes.

Natus es è docto, baccis ornate, Parente;
Fac æquare velis si superare nequis,

Gasparus Rozborski. St. Pòès.

Non hic Scopus.

Tot præceptorum curas sumptusq; parentis
Iam pensare studes: perge age, meta procul.

Hier. Chlewicki. St. Pòès.

IN ZO-

IN ZOILVM

Zoile iam rodis, iam latras, ringere demum:
Nil magnum; hæc faciat tam bene quiſque canis.

Albertus Goſtomio-wſki
Stud. Eloq.